RECTOR

VNIVERSITATIS LITTERARVM TVRICENSIS

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS PROPOSITIS PRAEMIIS
IN ANNOS MDCCCLXV—LXVI
INDICIT

PRAEMISSA EST

CONRADI BVRSIAN DE FORO ATHENARVM DISPVTATIO

TVRICI

TYPIS ZVRCHERI ET FVRRERI

1865

Quae ego in libro quem de geographia Graeciae edidi (Geographie von Griechenland, Vol. I, p. 281 ss.) de foro Athenarum deque porticibus illi adiacentibus breuiter, ut ferebat consilium quo ille liber scribebatur, at profecto haud leuiter disputaui, eorum nonnulla disertis uerbis impugnauit alia tacite improbauit nuper Ernestus Curtius in libello quem de Ceramico deque fori Athenarum historia scripsit (Attische Studien von E. Curtius. II. Der Kerameikos und die Geschichte der Agora von Athen. Göttingen 1865.). Quamquam autem mihi cum tali uiro de rebus etsi non grauissimis, attamen ad ueram ueterum Athenarum imaginem repraesentandam haud leuibus dissensionem esse aegre fero, tamen cum tota hac quaestione iterum accurate pertractata etiamnunc eam quam olim proposui fori Athenarum descriptionem ueram esse mihi persuasum sit, hac publice scribendi occasione munere quo in nostra litterarum uniuersitate fungor mihi oblata ad ea quae uera esse puto uindicanda utendum esse ratus de aedificiis publicis ad oras fori Athenarum constitutis paullo accuratius disputabo; qua in re ne acta agam omnia ea missa faciam de quibus mihi cum Curtio conuenit.

Priusquam autem ad hanc disputationem aggrediar pauca praemonenda sunt de quaestione diu multumque agitata quae Curtio aliter ac mihi soluenda esse uidetur: hanc dico quae est de porta uel potius de portis quibus Pausanias urbem Athenarum ingressus sit. Scilicet periegetam primum quidem Phalero Athenas accessisse et per eam portam ad quam uia Phalerea perducebat — quam Itoniam dictam esse satis constat — urbem intrasse, deinde uero statim mutato consilio aut Piraeeum ad quem portum primum a Sunio nauigans aduectus erat regressum aut certe in uiam quae inde a Piraeeo secundum rudera longorum murorum ad urbem dirigebatur transgressum ad alteram portam peruenisse ex eis quae ipse lib. I c. 1,5 et c. 2,1 ss. scripsit (*ἔστι δὲ κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐς Ἀθήνας ἐκ Φαλήρου — ἐσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν — ἀνιόντων δὲ ἐκ Πειραιῶς — ἐσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν*) liquido apparet. Num statim ab Itonia porta ea loca uisitauerit quorum descriptionem deinde

mediae ipsius fori descriptioni interposuit (c. 8,6 — c. 14,5), quae Curtii est sententia (l. l. p. 15), ualde dubito, cum nulla causa excogitari possit, cur non singula eo ordine quo illa uisitauerat in commentariis suis perscripserit aut cur ordinem eorum quae in ipso itinere perscripserat postea cum commentarios in lucem emittendos retractaret immutauerit: sed cum hoc ex eis esse mihi uideatur quae a nobis certo sciri nequeant, non amplius in eo exquirendo operam perdam. At quae fuerit altera illa porta qua non solum ad limen sed ad ipsa penetralia urbis accesserit Pausanias hoc et sciri posse opinor et ad totum iter eius recte definiendum magni momenti esse manifestum est. Fuisse autem illam portam eam quae Plutarchi certe tempore Piraeensis dicebatur (Plut. Thes. 27; Sulla 14), hoc est eam quae austrum uersus proxime aberat a notissima porta quam uolgo Dipylon appellabant, non hanc ipsam portam urbis principalem, qua Pausaniam in urbem inducit Curtius utpote eam uiam sequentem quae altero p. Chr. n. saeculo tritissima fuerit pedibus uolgi e portu in urbem commeantis, ex eo clarissime apparere mihi uidetur quod angiportum ab utroque latere porticibus cinctum a porta qua ingressus sit ad Ceramicum usque pertinere testatur Pausanias (c. 2, 4), cum Dipylon in ipso Ceramici interioris limine positum fuisse satis constet. Quod argumentum ut mihi quidem uidetur ualidissimum ita sane amoliri conatus est Curtius (l. l. p. 16 s.) ut nomen quod est ὁ Κεραμεικός duplicem Athenis sensum obtinuisse contenderet: latiorem, quo totam urbis partem a radicibus arcis usque ad limitem urbis septentrionalem[1]) patentem significaret, et strictiorem, quo solum forum denotaret; at hoc iure illum contendisse mecum pernegabit quicunque accurate examinauerit eos et scriptorum et titulorum ueterum locos in quibus Ceramici mentio fit. Nam quod haud raro aedificia uel statuae quas aut in ipso foro aut ad fori latera positas fuisse constat in Ceramico sitae esse dicuntur — cuius generis sunt exempla a Zestermanno (Die antiken und die christlichen Basiliken p. 36) collecta ad quae prouocat Curtius — nihil aliud probat nisi quod nulla omnino probatione eget, locum in quo posita sit aliqua res ab aliis magis ab aliis minus accurate definiri; nusquam uero locus qui pars est Ceramici latiore

[1]) Quod Curtius (l. l. p. 16) scripsit: »Das ganze Stadtquartier vom Fusse der Akropolis bis an die Westgränze der Stadt« non possum quin errore factum esse statuam, cum Ceramicum a radicibus arcis septentrionem uersus usque ad Dipylon pertinuisse, partem autem urbis ad occasum spectantem Meliten uicum — de quo mira quaedam nuper protulisse Curtium deinceps uidebimus — obtinuisse certissimis argumentis sit demonstratum.

sensu dicti, Ceramico opponitur uel extra illum situs esse dicitur, quod Pausaniam fecisse arguit Curtius, cum uiam siue plateam illam, quam Pausanias *a porta usque ad Ceramicum* pertinere dicit, ipsius Ceramici, hoc est regionis urbis proprio huius nominis sensu ita dictae, partem fuisse statuat. At cum credi omnino non possit, latiorem illum nominis sensum, quem et primarium et uolgarem fuisse ipse Curtius concedit, prorsus latuisse Pausaniam, fatendum est hunc scriptorem non solum obscure et neglegenter, quod sane haud raro ab eo factum esse constat, sed prorsus peruerse ne dicam insane locutum esse et lectores de industria in errorem induxisse, si plateam quam Ceramici partem esse sciret ab ipso Ceramico distinxit. Neque reliqui loci quibus Ceramici mentionem facit talis eum peruersitatis arguont; quamquam enim hoc nomine uolgo forum porticusque latera eius cingentes appellat (cf. I. 3, 1; c. 14, 6; c. 20, 6; VIII, 9, 8), ubi ipsum forum ab aliis Ceramici partibus distinguit, ut c. 17, 2 a gymnasio Ptolomaei quod in Ceramico situm fuisse constat (uid. Cic. de fin. I, 11, 39 et Diog. Laert. VII, 182, coll. Paus. I. 17, 2), uerbo quod est ἀγορά utitur.

Accedunt alia quaedam argumenta quae quamuis leuiora tamen ipsa quoque aliquid ad eam quam ego defendo sententiam stabiliendam conferant. Primum dico quod Pausanias, cum iter e portu in urbem facientem se rudera longorum murorum inuenisse testetur (c. 2, 2), aut inter utrumque murum aut extra murum septentrionalem — qua uia Leontium euntem facit Plato de rep. IV, p. 439 e — ambulasse censendus est: utraque autem uia ad latus urbis quod occidentem, non ad illud quod septentrionem occidentalem spectat, eum perducebat. Deinde uero adduci non possum ut credam Pausaniam, si a Dipylo ad forum accessisset, porticus magnae ab Attalo exstructae quae ipsi hac uia progredienti ad sinistram fuisset, nullam omnino mentionem facturum fuisse; cuius omissionis excusatio quam Curtius excogitauit, periegetam morae impatientem ad forum properasse dicens (l. l. p. 33), causidicum magis quam philologum a praeiudicatis opinionibus cauentem decet, cum illum sat multis uerbis (c. 2, 4—6) de porticibus a porta usque ad Ceramicum pertinentibus exposuisse uideamus.

Sed iam a porta de qua satis dictum esse putamus Pausaniam ad Ceramicum forumque sequamur. Porticum regiam quae prima ad dextram illi fuit, in latere fori quod occidentem spectat positam fuisse Curtio aeque ac mihi certum est; a quo eatenus tantum dissentio ut eam austro, hoc est cliui Martis radicibus paullo propiorem fuisse statuam, cum propter

directionem uiae quae a porta Piraeensi ad forum ducebat, tum alteram ob causam de qua statim dicendum erit. At longe dissentimus de positione alterius porticus, eius scilicet quam Pausanias pone statuas Iouis Eleutherii et imperatoris Hadriani sitam fuisse narrat (c. 3, 2 sq.) quamque uolgo porticum Iouis Eleutherii uel simpliciter porticum Iouis appellatam esse constat (u. locos quos attuli in Geogr. Gr. I, p. 282, not. 1). Etenim cum Pausanias locum quem haec porticus obtinebat admodum ambiguis uerbis descripserit (*πλησίον τῆς* [*βασιλείου*] *στοᾶς Κόνων ἕστηκε ..... Ἐνταῦθα ἕστηκε Ζεύς ..... Στοὰ δὲ ὄπισθεν ᾠκοδόμηται*), quaeritur num proxima a regia porticu austrum uersus an ex aduerso in latere fori quod orientem spectat exstructa fuerit. Ac negari quidem nequit eam quam priore loco dixi positionem, quam Curtius porticui Iouis assignauit, primo certe obtutu grauibus quae uidentur causis commendari: aptius enim iter secutus esse uidetur Pausanias si in eodem fori latere austrum uersus progrediebatur, quam si statim ad alterum latus transiebat; porro templum Apollinis Patroi quod porticui Jouis propinquum fuisse testatur Pausanias (c. 3, 4 *καὶ πλησίον ... ἐν τῷ ναῷ τὸν Ἀπόλλωνα Πατρῷον ἐπίκλησιν*) si iuxta illam in occidentali fori parte exstructum erat, facillimum a foro aditum ingredientibus, pulcherrimum fori prospectum egredientibus praebebat. Quid igitur, quaerat aliquis, te impedit quominus hac de re Curtio assentiaris? Res sat magnae molis quam loco suo mouere arduum mihi est: Pindari statuam dico, quam Pausanias (c. 8, 4) circa Martis templum, auctor epistularum quae Aeschini nomine feruntur (ep. IV, 3) ante porticum regiam positam fuisse testantur, quae testimonia ita tantum inter se conciliari posse mihi uidentur, ut statuam illam medium locum inter templum et porticum, quae septentrionem uersus proxima a templo fuerit, obtinuisse existimemus; ex quo sponte apparet nullum omnino aedificium inter porticum regiam et Martis templum fuisse interpositum, sed aream tantum statuis uirorum dignorum qui celeberrimo fere urbis loco statuerentur ornatam. Quamquam autem nescio quid mouerit Curtium ut epistulae illius testimonium prorsus neglegeret, coniectura tamen auguror quibus rationibus hanc argumentationem meam oppugnaturi sint aduersarii. Alius enim fortasse testi qui quis fuerit prorsus ignoramus omnino quicquam credendum esse negabit: cui hoc oppono, ex ipsis epistulae uerbis manifesto apparere auctorem quisquis denique fuerit — Rhodium autem fuisse puto qui aliquantum temporis Athenis degerit — statuam illam quam accurate describit ipsum oculis usurpasse. Quodsi uero alius utrique quidem testimonio fidem habendam, sed

utrumque ad diuersa tempora referendum esse censeat,[1]) respondeo, nullo modo credibile esse statuam publice in honorem uiri de ciuitate optime meriti dicatam ab eo loco quo semel constituta fuerat remotam atque in alium non ita longe ab illo distantem translatam esse; aptissimum autem Pindari statuae fuisse illum ipsum locum in quo Pausanias eam uidit, quippe proximum orchestrae in qua cantata erant carmina Athenarum laudem magnifice extollentia (cf. Pindari frg. n. 46 et 47 ed. Bergk.) ob quae poetam multarunt Thebani, honorarunt Athenienses, ita ut statim ab initio non alio loco statuam illam positam esse mihi persuasum sit.

Iam si nullum inter porticum regiam templumque Martis intererat aedificium, fieri non potest quin porticum Iouis in orientali fori latere ex aduerso porticui regiae positam fuisse,[2]) Pausaniam igitur a statuis Cononis et Timothei atque Euagorae orientem uersus ad statuas Iouis Eleutherii et imperatoris Hadriani porticumque pone illas positam progressum esse fateamur. Ab hac porticu separari non potest aedes Apollinis Patroi cuius area — *περίβολον* dico quem uocant Graeci — inde ab orientali fori margine usque ad eam uiam ad quam Mineruae Archegetidos porticus et Gymnasium Hadriani — liceat enim mihi certo nomine uti in re non prorsus certa — sita erant pertinuisse uidetur, ita ut antica pars aedis hanc quam dixi uiam, postica, quae procul dubio ipsa quoque columnis ornata erat, forum spectaret. Minus recte autem hanc aedem olim septentrionem uersus a porticu Iouis collocaui, quod me fecisse ideo nunc poenitet, quia hoc modo perturbatur ordo descriptionis Pausaniae; quem si inde a porticu Iouis meridiem uersus progressum esse statuimus, Apollinis aedes eo fere loco est collocanda quem in tabula urbis priori Geographiae meae uolumini adiecta (tab. V) obtinet curia, deinde Metroum eo ipso loco qui in tabula illa ei est adsignatus, cui quidem adsignationi quid cum aliqua probabilitatis specie opponi possit prorsus non in-

---

1) Si quis huic sententiae fidem quaerat ex eis uerbis quae sunt *καὶ ἦν αὕτη καὶ εἰς ἡμᾶς ἔτι*, moneo eum haec ita scripsisse auctorem quia Aeschinem non amplius Athenis sed exulem in Rhodo insula degentem hanc epistulam dedisse fingit.

2) Verba quibus utitur Harpocratio (p. 43, 19 ed. Bekk.) *δύο εἰσὶ στοαὶ παρ' ἀλλήλας, ἥτε τοῦ Ἐλευθερίου Διὸς καὶ ἡ βασίλειος*, huic utriusque porticus positioni optime conueniunt; quamquam facile largior Curtio (l. l. p. 20) etiam aliam ea admittere interpretationem. Etiam in Aristoph. eccl. 685 *ἡ παρὰ ταύτην* (*τὴν βασίλειον*) *στοιά* intellegenda esse uidetur porticus Iouis, non Theseum, quae explicandi ratio a scholiasta propter Θ litteram excogitata duplici de causa reicienda est: neque enim Theseum tam propinquom erat porticui regiae ut *παρὰ ταύτην* positum dici possit, neque quisquam Theseum porticum appellauit.

esse fateor, periegetam eadem ratione in perlustrandis locis usum esse qua in describendis utentem eum uidemus. Statuo igitur eum, toto circuitu eius partis fori quae austro propior est absoluto, cum ad eundem fere locum unde fori periegesin exorsus erat redisset, priusquam ad alteram fori partem septentrioni propiorem uisitandam se accingeret relicto foro meridiem et orientem uersus secundum australes arcis radices ad Ilissum usque progressum, inde simili itinere, eam fortasse uiam quae media est inter Pnycem[1]) et Areopagum secutum ad regionem porticui regiae et occidentali fori lateri propinquam regressum, deinceps iterum in forum descendisse ad alteram quam antea neglexerat partem eius spectandam. Hoc enim contra Curtium (l. l. p. 23 ss.) acriter contendo, templa Volcani et Veneris Caelestis paullo supra occidentale fori latus, hoc est in cliui Martis radicibus ad septentrionem procurrentibus aut in colle septentrionem uersus ab illo porrecto, in cuius planitie superiore Theseum quoque situm est, fuisse collocata, non orientem septentrionalem uersus a foro. Nam si reuera eo loco posita fuissent quem in tabula libello suo adnexa eis adsignari iussit Curtius, ineptissime sane dixisset Pausanias ea *ὑπὲρ τὸν Κεραμεικὸν καὶ στοὰν τὴν καλουμένην βασίλειον* esse, quippe tota fori latitudine amplius a porticu regia distantia. Accedit quod haec templa in cliuo fori (*Κολωνὸν ἀγοραῖον* dicebant Athenienses)

---

[1]) Pnycem eum collem dico qui medius est inter Museum et collem Nympharum quem uolgo dicunt: cui cur etiam post ea quae Curtius in priore Studiorum Atticorum particula (Attische Studien. Pnyx und Stadtmauer. Göttingen 1862) de ueterum scriptorum testimoniis deque reliquiis nuper in illo loco auspiciis regis Borussorum erutis disseruit, uetus illud nomen uindicandum esse censeam, pro more meo breuiter exposui in ephemerid. litterar. a Zarnckio editis a. MDCCCLXIII p. 712. Huic expositioni meae quae nuper ad sententiam suam tuendam opposuit Curtius (in additamentis ad priorem Studiorum Atticorum particulam particulae alteri adnexis p. 68 s.) eodem uitio laborant quo ea quae priore loco scripserat: uerba scilicet Clidemi a Plutarcho (in uita Thesei c. 27) nobis seruata non ex artis legibus sed ex arbitrio suo interpretatur, quo illa ex eis eliciat quae cum opinione sua praeiudicata congruant; quemadmodum nunc Theseum cum Atheniensibus Amazonum exercitum a dorso simul atque a latere agressum in loca plana usque ad portam fere Piraeensem repulisse narrat, cuius rei in Clidemi uerbis nec uola nec uestigium apparet. Simillimum est quod ex eo quod Plutarchus scripsit *περὶ τὴν Πνύκα καὶ τὸ Μουσεῖον*, non *καὶ περὶ τὸ Μουσεῖον*, concludit haec loca non diuersa sed arcte inter se conexa fuisse (‚zwei Punkte, welche einer Oertlichkeit angehören') — quod quo iure dixerit e Krugeri grammatica graeca § 68, 9 discere poterit —, cum statim post Clidemus narret, dextrum Amazonum cornu *πρὸς τὴν Πνύκα κατὰ τὴν Χρύσαν* uenisse, Athenienses autem hoc oppugnasse *ἀπὸ τοῦ Μουσείου ταῖς Ἀμαζόσι συμπεσόντας*. Sed taedet me iam diutius in hac controuersia uersari, quam libenter aliis uiris doctis diiudicandam relinquo.

sita fuisse, hunc autem cliuom ad uicum siue regionem urbis quae Melite dicebatur pertinuisse compertum habemus. Harpocratio enim qui (in u. *Εὐρυσάκειον*) Eurysacis Aiacis filii fanum in illo uico (in quo ipsum Eurysacen habitasse tradit Plutarchus Sol. 10) collocat, altero loco (in u. *κολωνα⟨ί⟩τας*) hoc fanum una cum templo Volcani in cliuo fori fuisse testatur; scholia autem ad Aristophanis auium u. 997 docent, uolgo Athenis partem urbis sitam post porticum longam (quod nomen referendum esse ad eam quae ab auctore *Πεισιανάκτειος*, a picturis quibus ornata erat *Ποικίλη* dicebatur, ex eo apparet quod Metonem, de quo in scholio quaeritur, prope hanc habitasse constat)[1] *Κολωνόν* dictam, sed in commentariis de terminis regionum urbanarum publice scriptis (*ἐν τοῖς ὁρισμοῖς τῆς πόλεως*) notatum esse, totam illam regionem qua etiam Pnyx comprehenditur Meliten esse. Iam siue Pnycem mecum collem intellexeris septentrionem uersus a Museo porrectum siue cum Curtio in ipso Musei cliuo posueris, hoc fateare necesse erit, Meliten occidentem uersus a foro sitam fuisse neque ullo modo probari posse quod Curtius aedificium quod intra Melites fines fuisse constat orientem uersus a foro collocat: qui cum olim (in Studiorum Atticorum part. I, p. 7 ss.) rectissime docuerit, Meliten collem Nympharum conprehendisse atque inde meridiem uersus pertinuisse, nunc uerbis de consilio ut uidetur obscuris utens ita scribit (Stud. Att. p. II, p. 33). »Hier (apud Colonum forensem quem intellegi uolt locum leniter accliuem in quo porticus Mineruae Archegetidos est constituta) gränzte der Kerameikos an Melite, welches in grosser Breite die Gegend oberhalb des Markts und die Felshöhen der südlichen Stadt umfasste« quae uerba me iterum iterumque legisse sed non intellexisse ingenue confiteor: Oedipode enim aliquo opus esse dixerim ad soluendum hoc aenigma, quomodo eadem regio simul colles saxosos urbis ad meridiem uergentis et Colonum illum quem Curtius statuit, toto Ceramico interposito ab illis seiunctum, complecti

---

[1]) Qua de causa Curtius (l. l. p. 32) *μακρὰν στοάν* Attali porticum intellegendam esse coniecerit nescio; hoc autem scio non recte eum nomen quod est *ἀλφιτόπωλις* siue *ἀλφίτων στοά* (Eustath. p. 868, 38; cf. Bekkeri anecd. p. 385, 32) ad hanc ipsam porticum retulisse, cum multo ante Attalum porticum quae *ἀλφιτόπωλις* dicebatur Athenis fuisse ex Aristophanis Eccles. u. 686 constet. Mihi uero quamquam non certum at haud improbabile uidetur, hoc quoque nomen ad Poecilen quam dicunt esse referendum, ut hanc a Pisianacte ab initio in usum frumentariorum conditam esse indeque etiam commercio frumenti Piraeeum traducto ubi Pericles nouam porticum frumentariam exstruxit quae ipsa quoque et *μακρὰ στοά* et *ἀλφιτόπωλις* dicta est (u. Demosth. in Phorm. p. 918; schol. Aristoph. Acharn. 548) uetus nomen ei remansisse statuamus.

potuerit. Sola ratio qua hoc aliquo modo explicari possit haec esse uidetur, ut Meliten arcem quoque comprehendisse itaque et occidentem et meridiem et orientem uersus a Ceramico patuisse statuamus: sed neque cum Curtii uerbis hoc conuenit, neque talis unius uici ambitus ullam probabilitatis speciem habet, praesertim cum ita nullus fere relinquatur locus quem Collyto uico adsignemus, quem in media urbe situm et Melitae confinem fuisse constat (u. Himer. apud Phot. bibl. cod. 243 p. 375^b. 6 ed. Bekk.; Strab. I, p. 65 s.; cf. geogr. Gr. I, p. 274 s.) quemque ipse Curtius (l. l. p. 53 s.) orientem uersus a Ceramico collocat. At si mecum Colonum prope occidentale fori latus constitueris, omnia facilia sunt et expedita: tum Pausanias a templo Volcani supra porticum regiam sito septentrionem uersus in Colono ad Veneris templum progreditur, ab hoc autem iterum ad forum descendit uia septentrionem uersus proxima ab ea qua prius ad forum accesserat: ad huius uiae os in foro positus erat Mercurius forensis et arcus triumphalis, inde paullo propius septentrionem porticus quae dicebatur Poecile,[1]) cuius picturas postquam descripsit statuasque nonnullas ante illam constitutas enumerauit Pausanias foro relicto occidentem septentrionalem uersus progreditur ad Ptolomaei gymnasium quod ad radices aut in ipso iugo collis Thesei situm fuisse manifestum est. Ita facile explicatur cur neque Attali porticum commemorauerit, cuius et locus et dispositio accurate descripta est in tabula Strackii manu delineata quae alteram Studiorum Atticorum Curtii particulam ornat, neque Leocorii mentionem fecerit, quod cum in medio Ceramico fuisse testetur Harpocratio (in u. *Λεωκόρειον*), a porta autem Ceramici exterioris non nimis longe afuisse e Thucyd. VI, 57 concludi possit, in ipso quidem foro (ut apparet e Demosth. in Conon. p. 1258)[2]), sed prope septentrionalem eius limitem in ea parte quae mercaturae maxime destinata erat collocandum esse arbitror. Hermarum denique, quos et ipsos Pausanias commemorare neglexit, teste Harpocratione (in u. *Ἑρμαῖ*) duplex erat ordo quorum alter a Poecile, alter a regia porticu incipiens ad alterum usque fori latus pertinebat: haec enim simplicissima et propterea uera uidetur haec

---

[1]) Argumentum quo Forchhammerus (Topographie von Athen p. 62 s.) utitur ut probet Pausaniae aduenienti Poecilen ad laeuam fuisse, sciens omitto, ne rem mea sententia minime dubiam argumentando dubiam faciam.

[2]) Quod Demosthenes (l. l.) ait *κατὰ τὸ Λεωκόριον ἐγγὺς τῶν Πυθοδώρου* intellegendum puto de tabernis in quibus Pythodorus mercaturam aliquam exercebat: cf. Harpocr. in. u. *σκηνίτης*.

uerba explicandi ratio, non ea quam Curtius (l. l. p. 25) excogitauit qui duos illos ordines non ἐκ παραλλήλου, ut graeco uerbo utar, positos fuisse sed angulum rectum effecisse contendit; neque intellego cur iste Aeschinis (in Ctesiph. § 183) de Hermarum porticu testimonium scholio ad Demosth. or. in Leptin. § 112 (p. 97^b, 41 ed. Sauppe) et certa ut mihi uidetur Sluiteri emendatione in Harpocrationis uerbis[1]) confirmatum contempserit, quo nixus ego quartam porticum ex aduerso Poeciles, id est septentrionem uersus a porticu Iouis, collocaui.

Iam finem scribendi facere poteram, cum id quod huic dissertationi propositum esse ab initio dixi absoluerim; sed pauca dicenda restant de nouo illo foro quod Curtius (l. l. p. 50 ss.) dominatus Romanorum temporibus orientem uersus a uetusto et primario urbis foro conditum esse statuit. Narrat enim iste, sub finem liberae Romanorum reipublicae atque sub initia principatus magnam mutationem dispositionis urbis Athenarum factam esse eo consilio ut sub septentrionalibus arcis radicibus plateae spatiosae conformarentur (l. l. p. 52: »sie zeugen von einem planmässigen Umbaue der Stadt, welcher in der Römischen Zeit, d. h am Ende der Republik und im Anfange des Prinzipats erfolgte, um den Athenern an der Nordseite neue städtische Plätze einzurichten«). Tales plateas fuisse opinatur aream muris circumdatam ad quam porticus siue uestibulum Mineruae Archegetidi consecratum aditum praebebat, atque alteram plateam orientem uersus ab illa, quam mediam occupat Turris Ventorum quam uocant siue horologium ab Andronico Cyrrheste conditum, cui postea additus est aquaeductus in honorem Mineruae Archegetidos et domus Augustae exstructus: in tabula a Strackio delineata alteri nomen fori olearii, quo ego quoque peribolum istum ornaui (Geogr. Gr. I, p. 293), alteri nomen »noui fori« (»Neumarkt«) est adscriptum; ad limitem autem meridionalem huius fori noui siue Romani a Curtio collocatur prytaneum, non uetus illud liberae Atheniensium reipublicae, quod postquam ab arce remotum fuerit diu ad antiquissimum forum in parte urbis meridiem uersus ab arce sita remansisse tradit, sed nouum quod Romanis

---

1) Doleo quod olim (in Geogr. gr. uol. I. p. 287, not. 1) hanc emendationem tamquam meam protuli. Scilicet dum illa scribebam Harpocrationis editione Bekkeriana utebar in qua nulla extat huius coniecturae mentio, neque fragmenta oratorum Atticorum a Sauppio collecta (u. p. 141) ad manus mihi erant: ita factum est ut bona fide mihi tribuerem quod mihi sponte in mentem uenerat, sed quod nunc libenter auctori suo restituo.

temporibus magnifico ornatu conditum esse fingit (cf. l. l. p. 54 ss.). Quod si haec partim antiqua sed iam dudum explosa, partim prorsus noua miratus quaesieris unde hauserit Curtius, offeretur tibi notissimus ille Strabonis locus (X p. 447) de Eretria Atheniensi quae nunc (νῦν) sit forum, ex quo quicquam de foro nouo Romanorum demum temporibus condito colligi posse recte olim negauit Forchhammerus (Topogr. v. Athen p. 54): at frustra aliud quantumuis tenue testimonium circumspicies; nihil te expediet ex ea qua statim te implicitum senties difficultate, quomodo Pausanias simpliciter de foro uerba facere potuerit (cf. c. 17, 1 Ἀθηναίοις δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἄλλα ἐστὶν et ibid. 2 ἐν τῷ γυμνασίῳ τῆς ἀγορᾶς ἀπέχοντι οὐ πολύ), si praeter hoc quod descripsit forum alterum erat et recentius constructum et usibus ciuium magis quam uetustius inseruiens. Si autem hoc eo excusare conetur Curtius quod etiam antiquissimum forum a Pausania prorsus neglectum esse uideamus, quiuis respondeat eo tempore quo Pausanias Athenas uisitauerit hoc forum e memoria hominum prorsus abolitum fuisse. Sed leuiore etiam si fieri potest uel potius nulla omnino testium auctoritate munita sunt ea quae Curtius de prytaneo Atheniensi elegantius quam uerius ut mihi uidetur narrat. Nemo scilicet ueterum de duobus prytaneis quae Athenis fuerint, nemo de prytaneo in meridionali urbis parte sito, nemo de prytaneo Romanis temporibus extructo quicquam memoriae mandauit: at Curtius cum »a priore«, ut philosophorum uerbo utar, hanc sententiam proposuerit, prytaneum a foro seiungi non posse, sed prytanea (ubique) supra ipsos fori limites posita fuisse, Athenis quoque rem non aliter se habuisse non probat sed sumit, et qua est ingenii sollertia, alterum prytaneum (quod nullum fuit) ad forum quod reuera olim exstiterat admouet, ad alterum prytaneum, quod prope septentrionales arcis radices situm fuisse Pausaniae testimonio constat, forum aliquod Romanum uel potius Curtianum de suo extruit. At si accuratius examinauerimus scriptorum titulorumque uetustorum de prytaneis testimonia post Spanhemium aliosque a Pylio (Die griechischen Rundbauten p. 89. n. †) atque a Preunero (Hestia-Vesta p. 95 ss.) collecta,[1]) de paucorum tantum ut in magno numero prytaneorum situ certius aliquid traditum esse uidebimus, esse autem inter haec uix unum alterumue quod ad ipsum forum situm fuisse demonstrari possit. Ita, ut missum faciam prytaneum Olympicum

---

[1]) **Addi potest prytaneum urbis Argorum a Diod. XIX, 63 commemoratum.**

cuius ipse Curtius (l. l. p. 55, u. 1) meminit[1]), prytaneum Delphicum in duobus titulis memoratum (u. Ulrichs Reisen u. Forschungen I, p. 67, n. 20 et Wescher et Foucart Inscriptions recueillies à Delphes n. 472) a curia quam nominant Plutarchus (de Pyth. orac. 9) et Clemens Alexandrinus (strom. I, p. 304) intra fines periboli Apollinis sita diuersum non fuisse recte statuisse uidetur Ulrichs: at fac idem fuisse atque tholum a Theodoro Phocaeo descriptam (Vitruu. praef. VII), quae Curtii est sententia (l. l. p. 57), quid est quod nos cogat ut hanc tholum extra periboli fines ad forum urbis Delphorum collocemus? Porro Megaris prytaneum non initium fori designasse, ut ait Curtius (l. l. p. 55), sed platea aliqua interposita a foro separatum fuisse, e Pausaniae (I, 42, 8; 43, 2) locorum descriptione apparere mihi uidetur. Nec de Siphno tam certo quam Curtius (l. l. p. 55) putat prytaneum ad ipsam fori marginem positum fuisse constat: imo cum oraculum ab Herodoto (III, 57) memoriae traditum *πρυτανήϊα λευκά* praeter *λεύκοφρυν ἀγορήν* nominet et ipse Herodotus oraculi explicandi gratia addat: *τοῖσι δὲ Σιφνίοισι ἦν τότε ἡ ἀγορὴ καὶ τὸ πρυτανήϊον Παρίῳ λίθῳ ἠσκημένα*, simplicior haec uerba interpretandi ratio ea est ut forum porticibus e Pario marmore extructis cinctum et prytaneum, quod eodem modo ornatum erat, extra fines fori situm fuisse statuamus. Denique quo iure Curtius ex eo quod Naucratitae ad prytaneum adscendere dicuntur (*ἀνελθόντι εἰς τὸ πρυτανεῖον* Athen. IV p. 150ᵃ) concluserit, prytaneum illic supra forum positum fuisse, alii uiderint: equidem hoc tantum interrogo quid nos impediat quominus illud in arce positum fuisse existimemus?

Sed iam satis demonstratum esse puto legem a Curtio latam quae prytanea urbium graecarum cum foris arcte coniungenda esse iubet, nulla certorum testimoniorum auctoritate confirmari: qua sublata cum toti ratiocinationi eius quasi fundamentum subtractum sit, non est quod in examinandis singulis quamuis ingeniose inuentis diutius immoremur. Omissa igitur disputatione quam sincero ueritatis indagandae studio, non caeco nostrarum opinionum amore ductos nos instituisse profitemur, id agamus quod huius libelli titulus indicat: ut exponamus quo euentu ab uniuersitatis nostrae ciuibus de praemiis publice propositis certatum sit utque nouas quaestiones eis pertractandas mandemus.

---

[1]) Digna sunt quae notentur uerba quibus hac de re utitur Curtius: »Ein Prytaneion ohne Agora lässt sich vielleicht in Olympia annehmen (Paus. V, 15, 8), aber hier war auch keine Stadtgemeinde«. Quasi uero ambiguum sit Pausaniae testimonium et non certissime euincat, prytaneum Eleorum Olympiae in Altide fuisse!

Ordini Theologorum qui postulauerat ut accurate examinetur et origo et fides libri qui inscribitur de mortibus persecutorum, una tradita est dissertatio cui inscriptum erat uocabulum »Durch«, quam praemio dignam iudicauit Ordo, hac sententia lata:

Die Arbeit besteht der Aufgabe entsprechend aus zwei Theilen. Der erste behandelt den Ursprung des Buches de mortibus persecutorum, wobei es sich wesentlich um die Frage handelt, ob der Rhetor und Kirchenschriftsteller Lactantius als Verfasser zu betrachten sei. Wenn anzuerkennen ist, dass der Verfasser die betreffenden Momente sorgsam zusammengestellt und im Ganzen besonnen erwogen hat, so trägt indessen wohl mehr nur der spröde Stoff die Schuld, dass der Verfasser gegen Ende leichteren Fusses mehr behauptet als beweist und mit seinem Resultate etwas zu sicher abschliesst. Recht gelungen und verdienstlich ist der zweite Theil der Arbeit, der die Glaubwürdigkeit des Buches untersucht. In angemessener Sachordnung werden die Angaben des Buches mit den anderweitigen Quellen zusammengehalten und geprüft, bei zweifelhafter Grundlage wird der geschichtliche Verlauf festzustellen gesucht und die vereinzelt stehenden Angaben des Buches finden nach den Verhältnissen eine Beurtheilung. Hier hat der Verfasser nicht nur mit grossem Fleisse gearbeitet und unter Anderm auch brauchbare Materialien aus den Actis Sanctorum zu gewinnen gesucht, sondern er hat auch gesunde Kritik und geschichtliches Talent gezeigt. Fern von einer zu grossen Vorliebe oder Geringschätzung des Buches weiss er im Ganzen Licht und Schatten gehörig zu vertheilen. Wenn selbstverständlich manche Behauptungen und kritische Operationen in Anspruch genommen werden können, so ist doch die Arbeit als ganze eine wissenschaftlich verdienstliche. Gewonnen würde sie haben, wenn die Vorgänger eingehendere Berücksichtigung gefunden hätten. In Betreff der Form wäre hie und da eine grössere Verarbeitung des Stoffes zu wünschen; auch der Styl zeigt Unebenheiten. — Hienach kann das Gesammturtheil der theologischen Facultät nur dahin lauten, dass die Arbeit ihre Aufgabe im Ganzen gelöst habe und ihr somit der ausgesetzte Preis zuzuerkennen sei.«

Schedula publice rescissa auctor huius dissertationis inuentus est

Carolus Otto Hunziker, Bernensis, theologiae studiosus.

Ordinis Philosophorum Sectio I quae de consilio quo Sallustius librum de coniuratione Catilinae conscripserit quaeri iusserat, nullam scriptionem accepit.

Nouae quaestiones in annos MDCCCLXV—LXVI propositae sunt haece:

I. Ab ordine theologorum:

Eingehende Untersuchung über die Quellen und die Entstehung der Bücher Samuelis und Könige, sowie über das Verhältniss derselben zu einander.

II. Ab Ordinis Philosophorum Sectione I:

Aus der römischen Kaisergeschichte soll ein zwischen dem Regierungsantritte Nerva's und demjenigen des Diocletianus liegender, in sich abgeschlossener Abschnitt zu einer möglichst genauen, auf umfassender Kritik der einschlägigen schriftlichen Quellen und Benutzung der betreffenden Inschriften und Münzen beruhenden, annalistischen Darstellung ausgewählt werden. Es ist hiebei auf die Zustände und erhaltenen Alterthümer von Helvetien in dem ausgewählten Zeitraume noch besondere Rücksicht zu nehmen.

Ab eiusdem Ordinis Sectione altera:

Es ist eine neue, die ältern Arbeiten ergänzende Untersuchung der verschiedenen Modificationen der Antimonsäure in ihren Salzen anzustellen, um wo möglich die Frage überzeugend zu beantworten, ob ausser den beiden bisher angenommenen, der einbasischen und zweibasischen Antimonsäure, auch eine dreibasische Modification, als deren saures Salz das sogenannte gummöse antimonsaure Kali seiner Entstehung nach betrachtet werden könnte, existirt oder nicht. Dem Berichte über die angestellten Versuche und ihre Resultate ist eine eingehende, auf Lectüre der Originalarbeiten gestützte Darlegung der historischen Entwicklung unserer Kenntnisse über die Antimonsäure vorauszuschicken.

Rogamus autem eos commilitones qui ad has quaestiones soluendas sese accinxerint, ut scripta sua addita obsignata schedula nomen scriptoris indicante uerbisque eisdem quibus scriptum insignita ante Calendas Ianuarias a. MDCCCLXVII Rectori Vniuersitatis nostrae Magnifico tradant.